

significari intendebant, alium laborasse, & alium laboris fructum percepisse, ut notat citatus Chrysostr. Et hoc Proverbum verum esse in Patribus veteris Testamenti, & discipulis suis, ait Christus. Nam illi antiqui Patres seminaverunt; at discipuli ex eorum labore fructum percipere; quod sequenti versu explicat Christus. Tamen Patriarchis nulla facta est injuria, cum ipsi habuerint suum primum in vitam aeternam.

Ioannis 4. n. 38. Ego misi vos metere, quod non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.

VERSIONES.

Syriacus. Ego misi vos ad id metendum, in quo non laborastis: alii siquidem laboraverunt.

EXPOSITIO.

285. H oratur Dominus suos Apostolos, ut alacriter instent in negotio praedicationis Evangelicae, tum ob mercedem, quae eis est preparata in vita aeterna, ut dixerat supra versu 36. tum ob facilitatem negotij, cum per Prophetas, ac Patres antiquos jam seminatam sit triticum divinae cognitionis, ac animarum cultura preparata, & disposita; ad quorum messem Christus mittit suos discipulos. Ego misi vos. De praeterito est locutio; jam enim Christus miserat suos discipulos metere in Judaea, ubi multos baptizaverat hoc e. 4. n. 2. In messe, ait Chrysostr. minus laboris est, plus voluptatis. Textus: Quod non laborastis; hoc est vestro labore non seminastis. Alii laboraverunt, scilicet Patriarchae, & Prophetae seminando verbum Dei, docendo, & hominum corda preparando. Et vos in labores eorum introistis, colligendo fructum fidei seminatae ab eis, & utendo eorum verbis pro veritatis confirmatione, ut ait Albert. Magn. & ante eum Irenaeus lib. 4. c. 40. D. Gregor. lib. 9. Moral. c. 16. Notanter observat Theophylactus, ex his verbis inferri, eundem esse Deum, & authorem veteris Testamenti, & novi: siquidem messis, incepta per Prophetas, ab Apostolis, ac discipulis Domini metenda, ac colligenda est.

QUESTIO XLIII.

Quare, cum Apostoli sint multos labores perperissi in praedicatione Evangelica, dicat tamen Dominus, quod eos mittit ad metendum, quod non laboraverunt?

286. Si nostra mente perpendamus labores, quos Apostoli passi sunt in disseminanda praedicatione per orbem, videntur multo atrociores,

& graviores, quam Patriarcharum armenta. Nulla lingua dicere sufficit tot persecutiones, tot exilia, tot flagella tantum famis, tantum sitis, tot rotas, flammae, necesse, & tandem tot tormentorum genera, quae Apostoli pro praedicanda fide conculcarunt: nil enim majus Patres antiqui poterunt perferre. Quomodo ergo dicuntur Apostoli, eorum comparatione, non laborasse, sed in eorum labores introisse.

287. Respondetur cum D. Augustino serm. 52. de Sanctis, quod Christus Dominus loquebatur hic de messe facienda in populo Judaico, & Samaritano, quorum turmas venientes per campos ostendebat: Levate oculos vestros, & videte, supra n. 31. Et ibi maxime laboraverunt Patriarchae in plantanda, & seminanda fide: Apostoli autem electi fuere ad metendum in hoc populo id, quod per Prophetas, ait Augustinus, erat jam maturum. At in dilatanda fide per orbem inter Gentes, Apostoli fuerunt non solum messores, sed etiam seminatores, & ait Augustinus, qui multis suis laboribus, ac armentis plantaverunt fidem, errorum vepres a Gentium cordibus evellendo, ac infidelitatis tenebras dissipando. Et in hoc sensu, ut observant citatus Augustinus, & Irenaeus lib. 4. c. 41. ait Paulus 1. Cor. 15. n. 10. se abundantius, quam omnes laborasse, quia destinatus est ad Gentes, in quibus nulla exibat fidei dispositio. Ita etiam ibi D. Anselmus, D. Thomas Benedictus, Justinianus, & hic Tolctus. Ad rationes morales deveniamus.

288. Desponder primò Rupertus lib. 4. in Joannem. Illic, ait, credentes, & sperantes, credendo, & expectando fidem, & spem suam in propagationem carnis suae, tanquam in bona gratia Dei terra commistenes, seminaverunt eum, & steterunt, & semina sua mittentes. Et ecce nunc alij metunt, nempe vos Apostoli, qui promissionum, quae ad eos factae sunt, praesentem habetis effectum. Quod satis clare totum dixit Hugo. In messe facilitas est, & securitas, & jucunditas de praesentia fructus. In semine autem multus labor diuturna expectatio. Antiqui Patres fidem praedicabant, Christum annuntiantes, qui maxime ab eorum oculis distabat, cujus praesentia non valuerunt; & ideo longa expectatione, tanquam seminatores vexabantur. At Apostoli, quamvis multo majores, quam illi, labores pertulerint, tamen dulcedine praemij ac praesentia Christi, & appropinquatione regni caelestis maxime recreabantur, tanquam messores; & ideo dicuntur minus laborasse; non quod minus laboraverint, sed quod eorum labores praesens fructus multum facilitaverit ac minuerit.

289. Secundo D. Cyrillus lib. 2. in Joan. cap. 110. Apertius totam rem ante oculos ponit, ut Prophetarum, atque Apostolorum amicus, ne labores illorum a laboribus Apostolorum separet; ne totam praedicationis gloriam, qua mundus converteretur, Apostolis solum attribuat, sed utriusque operam in unum commiscens. Ita non dimittit, priscorum gloria insultari, sed honorandos illos suadet: pariter, quia labore, pariter, quia tempore praecesserunt. Hoc nobis profuturum est, si ut regulam in similibus rebus observabimus. Cum totus mundus praedicatione esset trahendus ad fidem, ne dum hoc eorum gloriae adscribitur, Prophetarum, ac Patriarcharum labor videretur contemni, ideo Dominus eorum labores affocians,

Qui tempore & labore praecesserunt venerandi sunt. ac commiscens docet, quod Apostoli susceperint segetem jam preparatam, & naturam multis Prophetarum sudoribus, ut ibi ait D. Cyrill. Ex quo habemus documentum ad honorandos, ac venerandos eos, qui tempore, ac labore praecesserunt.

290. Tertio: Origenes homil. 7. in Exod. dum expendit illa verba Moysis Exod. 15. n. 17. Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuae; ita loquitur Origen. Vide clementis Domini bonitatem: non enim, ut ipse sibi faciat habitaculum, te preparatam ducit habitationem, audi Deum dicentem in Evangelio: Alii laboraverunt; vos in labores eorum introistis. Bonus Deus ita suos amicos evellit ad regnum caelorum, ut semper labores perperissi comparatione tanti boni semper sint inferiores. Dum ergo suos discipulos promovet ad supremum cultum dignitatis Apostolicae, ait eis; quod ingrediantur in labores Prophetarum. Quia quamvis ipsi Apostoli multum sustineant, & perpetuantur; tamen habita consideratione ad tantum principatum, semper labores sunt minores, & inferiores, cum ad messem, jam ab aliis preparatam, admittantur. Ad id bonus est Deus, ut semper de laboribus subtrahat; honores, & praemia abundantissime largiatur, & diffundat.

291. Quarto. Multum laboraverunt Prophetae, & Patriarchae; Sed si recte expendas, multo majores fuerunt persecutiones, armenta, contumeliae ac tormentorum genera, quae perperissi sunt Apostoli in messe Evangelica. Et tamen hi dicuntur non laborasse, sed in aliorum labores introisse. Nam Patriarchae pertulerunt persecutores sine exemplo Christi pariter cum eis dolores mortis sustinentis, & ideo eorum praesentia gravissima fuerunt. At Apostoli suos cruciatus sunt amplexi Christo comire, & simul ipso patientes, ac proinde valde suavissimi, & per jucundi fuerunt. Et ideo labores, qui Christum comitem non habent, valde durissimi, & rigidi sunt. Qui vero tanto Domini exemplo nos circumdant, praer jucunditate ac dulcedine minime labores videntur.

292. Tota est Sponsa in laudibus domum suam extollendo, ut ad eam invitet sponsum: Lectulus noster floridus, verna domorum nostrarum cedrina; laquearia nostra expressiva. Cant. 1. n. 16. Et tamen statim respondens sponsum ait: Ego flos campi, & liliam convallium. Cant. 2. n. 1. Ubi Christus Dominus suos discipulos, ac justos advocat ad campum laboris, ac ad culturam, & conversionem animarum, ut authores sunt Orig. hom. 3. ex tribus. D. Greg. Nyssen, hom. 4. Sed qualiter, & quibus adhortationibus Dominus suos provocat ad hujusmodi culturam? Ait Ego flos campi: nam cum ipse se ostendat, in hoc campo labori, atque huic culturae deditum, certus erat, quod justorum animae labores minime recusarent, sed pro nihilo reputaret. D. Bernard. serm. 47. in Cant. Nec putat, ait, caelestis sponsum, quidquam persuasibilis fore illi ad inveniendum certamen, quam si se ipsum certamini, aut exemplum proponat aut praemium. Et paulo ante dixerat, Tu deces manus meas ad praedium exemplo virtutis tuae: tu caput meum post gloriam tuae corona praesentia majestatis; sive quia pugnantem specto; sive quia te specto; non solum coronantem, sed etiam coronam: in utroque mirabiliter tibi me illucis: uterque fanis vehementissimus ad trahendum. Vide lib. 2. c. 7. g. 5. n. 22. 23.

Sylveira in Evang. Tom. 1. l.

Ioannis 4. n. 49. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonij perhibenti. Quia dixit mihi omnia, quaecumque feci.

VERSIONES.

Syriacus. Ex illa autem urbe multi crediderunt in eum Schamaritani propter sermonem mulieris testimonij perhibenti, dixisse eum ipsi omnia, quaecumque fecisset.

EXPOSITIO.

293. Post habitum colloquij Christi cum discipulis, ad historiam mulieris redit Evangelista. Multi crediderunt in eum, antequam a civitate exissent, & ad Christum venissent, ut observant D. August. Beda, Cyril. Albert. Magn. crediderunt Christum magnum esse Prophetam, & verum esse Messiam; non solum crediderunt dictis mulieris, sed etiam crediderunt in Christum; hoc enim dicit Evangelista; Crediderunt in eum propter verbum mulieris, constantem affirmantis: Quia dixit mihi omnia, quaecumque feci. Maxime laudanda est horum hominum promptitudo in credendo antequam ad Christum accederent. Quod totum provenit ex efficacia splendoris, ac gratiae Christi Domini, qui ut sol, antequam ad nostrum Horizontem ascendat, jam incipit mundum illuminare.

QUESTIO XLIV.

Quare ad unius mulierculae vocem multi Samaritani credunt, Christum esse Filium Dei?

294. Samaritani, antequam exirent ab urbe, crediderunt, Christum Dominum esse verum Filium Dei, & verum Messiam. In quo videbitur alicui, quod improdenter egerit dum credunt tanta mysteria, quae humanum captum excedunt, propter testimonium unius feminae, & quidem meretricis. Ad hoc facile responderent, quod totum provenit ex gratia Dei, quae ob summam Salvatoris misericordiam horum hominum corda movit, & traxit ad fidem. Deinde ut Apostoli viderent jam maturam messem, ac preparatam in his hominibus, sicut eis Dominus praedixerat. Secundo ait Franc. Lucas: Ex hoc licet conjecturare, quantum apud veros, simplices, & bonos vigeret spes, & desiderium promissi Messiae. R. Siquidem



Siquidem ad unius mulieris vocem crediderunt. Prompte nobis persuademus, adesse ea, quae vehementer desideramus.

295. Chrysof.

Tertio D. Chrysof. hom. 33. Considerabant, ait, quod nequaquam mulier graviter eum admirata esset, qui ejus delicta redarguerat, nisi magnus quis esset, & excellens. Credunt Samaritani, adesse Christum, ob testimonium mulieris. Quia dixit mibi omnia, quaecumque feci. Magno pondere iudicii ratiocinati sunt in hoc negotio; nam mulier testificabatur quod ei Christus dixisset, quot, & quantis viris scorticalet, & crimina ejus, luxuriamque reprehendisset. Et tamen videbant mulierem valde propensam esse in Christum, & totam se in ejus laudes diffundere. Inde conjecturati sunt, Christum magnum esse Prophetam, ac verum Messiam, qui animum mulieris benevole attrahebat, non blanditiis, sed asperis verbis: nam gratiam consiliare objurgationibus, ac nuda veritate ex dono Dei est, ac supra humanam conditionem.

De dono Dei est gratiam conciliare nuda veritate.

296. Theophyl.

Quarto Theophylactus, Propter sermonem mulieris multi Samaritani credunt, utpote prudenter apud se judicantes, quod vitam suam mulier non vulgasset ad hoc, ut gratificaretur alteri, nisi magnus quis esset, & super multos, qui ab illa praeceperant. Sapienter sane Samaritani ex testimonio mulieris ducuntur in notitiam excellentiae, ac majestatis Christi, apud se firmissime stantes, quod tam admirabile opus, in quo mulier non erubescere, occulta sua crimina evulgare; cum valde ingenitum sit unicuique nostrum, ea abscondere, hoc non ex gratia captanda alicui, sed ex mero impulsu Dei provenire posse, necessarium erat; qui solus sua potentia ad tantam virtutis magnitudinem commovebat mulieris animum, cum ab ipso tantum omnia nostra magna in via salutis descendant.

Magna virtutis opera a solo Deo.

297. Celada.

Quinto, Aliter hunc locum exponit P. Didacus Celada in Indib. cap. 8. §. 3. num. 113. Quod cum homines valde propensi sint ad credendum, veros esse alienos defectus, ita Samaritani ratiocinati sunt apud se; dum haec femina ait, quod Christus dixerit ei omnia, quaecumque fecit, sua crimina, adulteria, & luxurias. Aut haec vera sunt, aut falsa: si falsa sunt, mulier hujusmodi delicta non commisit, & ab eis est aliena. At si vera sunt, cum sint valde occulta, icaut nobis concivibus suis essent ignota, & tamen Christus alienigena ea revelavit; necessarium fatendum, hujusmodi hominem divino nato ea agnovisse. Ergo cum homines valde proclives sint ad credenda vera esse aliena peccata, ne dicant, mulierem esse puram, & immunem a tot, ac tantis criminibus, facile conveniunt, ut sibi persuadeant, ac fateantur, Christum esse verum Prophetam, aut Deum, qui occulta nescit.

Valde propensi sunt homines ad credenda aliena peccata.

Ioannis 4. n. 40. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies.

VERSIONES.

Syriacus. Cumque venissent ad eum illi Samaritani, efflagi-

taverunt ab eo, ut apud ipsos maneret, & mansit apud eos biduum.

Euthymius. Samaritani orabant illum, ut maneret apud se.

EXPOSITIO.

Cum ex urbe Sichar fide, ac devotione venissent Samaritani ad Christum, charitate, ac vera permanentia rogant ab eo, ut apud eos maneret. Non solum officii, & humanitatis causa hoc petunt, verum etiam, quod sibi valde utile, & salutare fore ducerent, Messiam apud se retinere. Rogaverunt eum ibi manere, non per paucos dies, sed ut semper, aut saltem longo tempore ibi commoraretur, ut observat Chrysof. hom. 34. Et mansit apud eos. Valde mirum, quod Samaritanis se credit Jesus. De Judaeis dicitur Joan. 2. n. 23. Multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus, quae faciebat. Ipse autem Jesus non credebatur semetipsum eis. Cur Jesus se credit Samaritanis, & non Judaeis? Rupert. lib. 4. in Joan. Quia non propter signa, quae nulla viderant, sed propter id, quod dictum est (scilicet verbum mulieris) crediderunt Samaritani in eum. Cum introisset civitatem, & in templo docuisset, multi crediderunt in eum ob signa, quae faciebat, non tamen Jesus credebatur se ipsum illis. A Judaeis declinat Jesus, ad Samaritanos se recipit, & se illis credit: quia Judaei vnerant ad Dominum compulsi ob qui testimonio magna signa, & miracula, quae viderant, & Samaritani, ut Christum sequerentur unius mulieris voce moventur, & ideo multum apud Dominum promerentur.

298.

Chrysof.

Joan. 2.

Multum promerentur.

299.

August.

Beda.

Albert. Mag.

Etiamsi frivola calumnia occasio evitanda.

Ioannis 4. n. 41. Et multo plures crediderunt in eum, propter sermonem ejus.

VERSIONES.

Syriacus. Et plurimi crediderunt. Multi ex Greco. Propter doctrinam ejus.

EXPOSITIO.

Viso Christo, & audita efficacia verborum ejus, multo plures crediderunt in eum, quam antea propter verbum mulieris. Non explicat Evangelista, quae verba fuerint haec, ut advertit Theophylactus. Verisimile tamen

300.

men est, quae questionem de loco orationis, quae cum mulier fuerat agitata, iterum a civibus fuisse propositam. Et ea occasione multa de lege, de cultu Dei, ac adventu sui ipsius disseruit Dominus, quae omnia a peritis Scripturae locis demonstravit. Et quamvis hujusmodi verba ab Evangelista non enarrantur; tamen quantae efficaciae fuerint, ex effectu satis declaratur. An Dominus ibi aliquod miraculum fecerit? Evangelista non explicat. D. Chrysof. homil. 34. Theophylactus nullum ibi fecisse miraculum, nam si ibi esset factum, Evangelista utique expressisset, dicens, quod crediderunt propter miraculum sicut ait: credidisse propter sermonem.

Chrysof. Theophyl.

Ioannes 4. n. 42. Et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est verus Salvator mundi.

VERSIONES.

Syriacus. Ac dicebant mulieri illi: Non amplius propter sermones tuos credimus in eum; nos enim audivimus, & scimus, hunc esse verissime Melchicho illum servatorem orbis.

Vatablus. Jam non propter tuam narrationem.

Theophylactus. Jam non propter tuam orationem.

Euthymius. Jam non propter verba tua.

Aliqui ex Greco. Jam non propter tuam loquacitatem.

Graeci ferunt omnes, Euthym. Theophyl. Est verus Salvator mundi Christus.

EXPOSITIO.

VERBA haec non sunt omnium Samaritanorum, sed tantum illorum, qui ob testimonium mulieris ad Christum venerunt. Et ipsi dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam, hoc est, quod jam non propter tuam narrationem, orationem, sermonem, haec enim omnia significat verbum Graecum, Credimus, scilicet esse Messiam. Non enim haec dicunt quasi contentemnes testimonium mulieris, quo ad Christum accesserunt, sed ut ea, quae a Christo audierant, extollant super testimonium mulieris. Ipsi enim audivimus, scilicet ex ore ejus, quod ipse sit verus Messias, & Salvator mundi, & ideo non indigemus jam tuo testimonio, quod ipse dixerit tibi, quod erat Christus. Et scimus non aliquali cognitione, & frivola ad hoc persuasi sumus, sed hoc scimus certissima fidei cognitione multis Scripturae locis demonstrat, & corroborat. Quia Sylveira in Evang. Tom. I. l.

Tuus magister non est contentemnes.

hic est verus Salvator, hoc est, quia hic est Jesus promissus Patribus. Et dicitur verus Salvator, ait Chrysof. Veniunt multi, ut salvos facerent, & Propheta, & Angeli; sed hic verus Salvator est, inquit, qui veram salutem largiuntur; non brevis, sed perpetua duraturam. Similiter Theoph. Alber. Magn. D. Thom. D. Bonavent. Jesus dicitur verus Salvator per comparationem ad Angelos, & Prophetas; quia si isti, ut Moyses, Josue, verbi gratia, populum liberarunt; hujusmodi libertas erat a servitute hominum, ac pro brevi tempore; Jesus autem liberat in aeternum a servitute peccati. Et dicitur Salvator mundi, non populi Judaici, sed omnium Gentium; ac communis omnium Salvator. In Graeco additur Christus, quod Latine non legitur: tamen Salvator mundi periphrasis est Christus.

Chrysof.

Theophyl. Alber. Mag. D. Thom. Bonavent.



CAP. VI.

Sanatur filius Reguli.

Ioannis 4. n. 46. Venit ergo iterum in Cana Galilaeae, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.

VERSIONES.

D. August. tra. Pergit iterum in Galilaeam.

Syriacus. Et erat in Capharnaum servus regius quidam, cujus filius aegrotabat.

D. Hieronymus. Quidam de aula Regis, seu Palatinus.

in Isai. 65. vesp. 1.

Nonnus. Vir regius, regens exercitum.

Vatablus, Pag. Euthym. Theophyl. Et erat quidam regius.

EXPOSITIO.

EX regione Samariae itinere duorum dierum, ut patet ex hoc c. 4. n. 43. venit Dominus in Galilaeam, quae sita erat juxta Nazareth Aquilonem versus. Et ita illa particula, ergo, ait Toletus, quod dicit illationem, tanquam sit sensus; qui propriam patriam reliquit, nec ad eam divertere voluit, venit in Cana, quae era proxima Nazareth. Locus enim ad divertendum non erat accommodatior; tum ob propinquitatem, tum quia notus erat ex miraculo amicis, ac consanguineis ibi commo-

1.

Tolet.

R. 2. ranti bus